



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1494 usque ad annum 1507

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1769

VD18 90118448

§. 142. Perkinus in Hiberniam, inde in Angliam reversus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67025](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67025)

Sæcul. XV. vigesima nona Septembris die, qua pa-
A.C. 1497. cis foedus utrinque firmatum est, com-
 putandas.

§. CXLII.

*Perkinus in Hiberniam, inde in Angliam
 reversus.*

Perkinus a Scotiæ Rege valere iussus, unacum Comitissa conjuge sua, famulis, omnibusque Scotis, quos ad partes suas pertrahere poterat, navem conscendit, ac versus Hiberniam plenis navigavit velis, ventoque secundo usus, ad portum adpulsus est, nemine suorum excensionem oblucente. Primo hoc blandientis fortunæ successu de meliori sorte confusus, veterum suorum amicorum studia denuo accendere, novos sibi conciliare, cunctaque ad Anglicam expeditionem parare adlaborabat. Vix Corisopotum de Perkini adventu in Hiberniam rumor pervasit, cum illico seditio recrudesceret; unde Perkinus factis velis sese rebellibus adungere festinat, horum tribus millibus ad ejus vexilla convolantibus. His suppetiis auctus Exoniæ contendit, urbem cingit, atque ad deditionem provocat; verum ei a civibus in responsis datum, se nullum alium præter Henricum Regem venerari, mor-

mortemque potius oppetere paratos, quam ab ejus fide deficere. Rex Angliæ, intellecto Perkinii adventu, atque Exoniensi obsidione, hostem suum intra regni viscera grassari obstupuit. Ergo quantocius copias suas longo ordine litora obsidere jubet, ut redituro maris transitum interciperet. Nobiles mox conscensis equis, collectisque, quot quot poterant, militibus, Cubiculariorum Præfecto, qui Exoniensibus in auxilium accurrerat, sese adjungunt, ac eorum primus Buckinghamiæ Dux prope urbem advenit, quem paulo post ipse Rex secutus est. At Perkinus Anglorum occursum præstolari haud consultum ratus, obsidione soluta cum septem millibus suorum Tauntonium sese recepit.

§. CXLIII.

Philippi Callimachi obitus.

Hoc anno inter viros scientiarum laude claros solus Philippus Callimachus, celebris Historicus, Poeta, & Orator, vivis ereptus est: obitus sui diem ad primam Novembris anni præcedentis nonnulli Scriptores revocant. Fuit is natus in quodam, quod Sangem inianum vocatur, Etruriæ oppido, unde, cum hæc urbs in Florentinorum ditioe sita esset, *Michov. l. 4. c. 78. Crom. l. 30. Volateran. lib. 7. Paul. Jov. elog. c. 41.*

Hist. Eccles. Tom. XXXI. O - etiam